

constantes perstiterimus. Sic visum est Deo, ut messem gaudij sementis molestia præcedat: & priores sint passiones, posteriores gloriæ.

PSALMVS CXXVII.

CANTICVM GRADVVM SALOMONIS.

Vanam esse omnem curam & conatum ædificandi, laborandi, custodiendi & vigilandi, nisi Dominus ipse ædificet, custodiat & vigilet, canit hoc Psalmo Vates, siue David, siue Salomon.

- VERS. I.** **N**isi Dominus ædificauerit domum, frustra laborat qui ædificat eam: nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat custos.
2. Frustrà vobis est, quòd manè surgitis, tardè quiescitis, panem dolorum manducatis: sic dat dilecto suo somnum.
 3. Ecce hereditas Domini filij sunt: merces, fructus ventris.
 4. Sicut sagitta in manu potentis, ita filij iuuentutis.
 5. Bene illi viro, qui impleuit pharetram suam ipsis, non confundentur, cum loquentur inimicis in porta.

LECTIO. Tardè quiescitis.] Ebr. מאחר שבת id est, Tardentes, vel differentes sessionem, aut quietem. Græc. & vulg. Lat. Surgite postquam sederitis. Hieron. sic: Postquam sederitis. Iustin. Detenti sessione. Felix: Retardantibus sedere, Sic & Pagn. Et Camp. Qui sursum ac deorsum cursitantes, sedere recusaueritis. Sic dat dilecto suo somnum.] Ebr. שנתן לירידתו שנת, positum est שנת, per Aleph. Græc. & vulg. Lat. Cum dederit dilectis suis somnum. Hieron. Sic Diligentibus se somnum. Felix: Sic dabit dilecto suo somnum.

Vers. 4. Ita filij iuuentutis.] Ebr. בני הנוער בן. Græc. & vulg. Lat. Ita filij excussorum. Sic reddiderunt, quoniam verbum נער etiam excutere ac præcipitem dare significat. Felix: Sic filij adolescentiarum. Pagn. Ita filij iuuentuum. Camp. vertit: Filios adolescentes.

Vers. 5. Qui impleuit pharetram suam.] Ebr. אשפתו. Græc. & vulg. Lat. Desiderium suum. Chald. מדרשית: id est, Scholas suas. Reliqui vertunt: Pharetram suam, Non confundentur, cum loquentur.] Ebr. לא יבשו כי ירבאו. Vulg. Latina: Non confundetur, cum loquetur. Sic & Iustinianus.

EXPLANATIO. David Kimhi Psalmum hunc trifariam exponit. Primùm de Salomone; deinde de Messia: tertio in genere de quibusvis ædificantibus, ciuitatum custodibus, anxie laborantibus, manè surgentibus, & tardè ad quietem redeuntibus. Mihi videtur hunc esse Psalmum specialiter ad hoc deputatum, ut in dedicationibus ædium, quæ Iudæis in vsu fuerunt, caneretur, quòd mentes ædificantium ac laborantium ad prouidentiam Dei fidem dirigerentur.

Vers. 1. Nisi Dominus ædificauerit domum.] Hoc dicit: Omnia sunt in manu Dei sita. Frustrà est omnis humana diligentia, nisi diuina accedat prouidentia. Vanus est labor ædificantium, vana est cura vigilantium & custodientium, nisi Dominus ipse ædificet & custodiat.

Nisi Dominus custodierit ciuitatem.] Pertinet hoc ad magistratus administrationem, cuius est custodire ciuitatem. Nec illius, inquit, potentia sufficiens est ad custodiam & protectionem ciuitatis, nisi Dominus sit custos.

Vers. 2. Frustrà vobis est, quòd manè surgitis.] Per apostrophem alloquitur eos, qui neglecta diuinæ prouidentia fide, anxij sunt in acquirendo victu, quasi necessaria alimonia ab humana cura & solitudine pendeat. Horum curam & solitudinem per id exprimit, quòd dicit manè surgere, tardiùs ad quietem redire, & panem dolorum comedere. Huiusmodi anxietatis vanitatem perstringit, dicens: Frustrà vobis est quòd manè surgitis, &c.

Illud, Sic dat dilecto suo somnum: vnà cum sequentibus, ad finem vsque Psalmi, ad fideles, Deo dilectos pertinet: qui vt fide à Deo pendent, ita etiam illius prouidentia beneficijs sine vlla anxia cura & solitudine potiuntur. Potest autem hæc particula bifariam exponi. Primùm sic: Sic dat dilecto suo somnum: id est, Quicquid habet dilectus, dono ipsius habet, acceptum ab eo, quasi in somno, sine vlla præuia cura & solitudine, sine vllò anxio labore & negotio. vt vox שנת idem sit hoc loco, quòd dormiendo, vel inter dormiendum. Deinde ad hunc modum: Sic dilecto suo somnum: id est, iucundam ac tranquillam quietem, cor liberum & nimia cura & solitudine.

Vers. 3. 4. Ecce hereditas Domini.] Tribus istis versibus donum illud Dei prædicat Vates, quòd viro pio dantur filij, ructus ventris. Vocat illos hereditatem & mercedem Domini, vt donum Dei exprimat. Versu 4. comparat eos sagittis, quæ sunt in manu potentis, quibus ille terrori est inimicis suis. Sic sunt, inquit, filij iuuentutis: id est, filij iuuenes, veluti protectio patris. Intellige, si sunt pij. Clariùs explicat similitudinè versu vltimo, dicens: Bene illi viro, qui impleuit pharetram ipsis. hoc est, Qui perinde munitus est filiorum copia & tutela, atq; munitus est vir belli, pharetram habens selectis iaculis refertam. Non confundentur, inquit, cum loquentur inimicis in porta. hoc est, Vbi disceptandum est iudicio (nam in portis exercebantur iudicia) non facillè erunt violentiæ obnoxij, qua causa sua cadant, & repressi confundantur.

OBSER. Nisi Dominus ædificauerit domum.] Obserua, quomodo primùm ædificationem domus ponat, deinde custodiam ciuitatis subiungat. Sicut ex partibus totum, ita ex domibus ciuitas constat. Capitur autem domus non solùm pro ædificio, sed & pro familia: vt ædificatio domus, sit structura ædium, acquisitio & moderatio familiarum. Et custodia ciuitatis, sit non solùm nocturna illa, quæ vigilum excubijs: sed & vniuersa